Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.
Wien, 1799 Seite 465
Quelle:
Copyright:

tioſi erimus, feliciore ſtilo conſequemur. Nunc illud praecipue nobis dicendum eſt, quod ſicuti Archiepiſcopo ſtrigonienſi Baſilium archiepiſcopum imitanti opus dicavimus, ita tibi eundem pari ſtudio proſequenti, omniaque tribuenti alterum Baſilii librum, quo ſpiritum ſanctum ejusdem eſſe glorificationis cum patre et filio contra eunomianos demonſtravit, inſcripſimus, ut noſtra etiam opera communi hominum utilitati tuis in nos ſingularibus promeritis conſulatur.

Haec in memoriam clariſſimorum *Hungariae* Praeſulum. Jam Tractatus ipſe ſic incipit: *Laudaui diligentiam tuam in diſcendo atque induſtriam* &c. Textus ab alia manu rurſus limatus, notisque ad marginem adſperſus eſt, quas *Trapezuntii* credo; quaedam enim, ut *fol.* 108. p. 2. *fol.* 128. p. 2. *fol.* 131. nomen ejus praeferunt. *Cap.* XXVII. ad verba *Baſilii* nobis *fol.* 126. *Quis ſanctorum nobis in demonſtratione* (ἐπὶ τῇ ἀναδείξει) *panis euchariſtię et calicis benedictionis verba invocandi reliquit in ſcriptis?* adjicitur: *Nota quod hic demonſtratur nullam a Jacobo* (Apoſt.) *ſcriptam miſſam ad Baſilium perveniſſe. Fol.* 131. ubi *Baſilius* C. XXIX. *lucernalis gratiarum actionis* (τῆς ἐπιλυχνίου εὐχαριστίας) meminit, commentatur Noſter de Hymno, cujus initium: Φῶς ἱλαρὸν ἁγίας δόξης ἀθανάτου &c. et poſtquam dixiſſet illum ita finire: *Laudamus patrem, filium et ſanctum ſpiritum deum*, ita argumentatur: *Hoc certe poſtremum quod dicitur deum, aut ad ſolum ſpiritum refertur, et ſic ſpiritus communi chriſtianorum uſu ſicut deus verus adorabatur, ſicut nunc et adoratur, et adorabitur latius, cum jam tempus iubet, ut intret plenitudo gentium, quam ſequentur Judei ſecundum paulum, vel ad tres perſonas patris, filij et ſpiritus ſancti.* &c. Habuit igitur *Trapezuntius* Codices, qui legebant: Ἀινέσμεν πατέρα, καὶ Υἱὸν, καὶ ἅγιον πνεῦμα Θεὸν, et ita lego etiam in *Horologio* graeco *Venetiis* 1667. p. 221. 8. Quare miror *Maurianos*, qui T. III. p. 62. *Opp. Baſilii* Θεὸν habent, varietatem hanc ne quidem in *Notis* tetigiſſe. Ceterum Verſionis noſtrae *Trapezuntianae* indicium nec apud *Fabricium Bibl. gr.* L. v. c. 19. nec apud *Niceronum* T. XIV. p. 329. nec apud *Apoſt. Zenum* T. II. *Diſſert. Voſſ.* p. 9. reperitur, minus apud *Maurianos.* Num Eruditi omnem ulteriorem inveſtigationem interdictam ſibi putarunt poſt *Eraſmi* in ſuae Verſionis ad *Job. Dantiſcum* Ep. *Culm.* Praefatione Sententiam: *Hoc probatiſſimi Doctoris* (Baſilii) *opus quoniam videbam a Gregorio Nazianzeno magnopere laudatum in Monodia, nec hactenus a quoquam, quod equidem ſciam, Latine uerſum, eo libentius hoc laboris mihi ſumpſi* &c.

CCLXV.

Codex membraneus lat. Sec. XV. Folior. 156. 4. nitide exaratus, Titulis miniatis char. quadro, limbo frontis et literis initio- U. 83